





[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through.]

**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
IO. HENRICVS
FEVSTKINGIVS**

**S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESSOR
PVBL. AVGVSTISSIMAE PRINCIPIS ELECTRICIS SAXO
NIAE CONCIONATOR AVLICVS. SEREN. DVC
SAXO GOTH. CONSILIARIVS ECCLESIAST. ET CONSIST
SACRI, QVOD VITEMBERGAE EST, ASSESSOR**

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D
[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through.]



51

Nondum uel exhaustus est, uel minuit, fons, quem apud nos hac mente aperuit liberalitas **VOLFRAMSDORFIA**, ut manet latius, beneficiumque ingeniis impertiat, quae in futuros, praecipue sanctiores, reipublicae usus aluntur. igitur nullus intercedit annus, quin memoriam beneficentiae, quae plurimum subleuatur inopia, renouemus, eaque simul animi religione, quae crimen ingrati non admittit, defungamur, ut publice deprecemur pro salute incrementisque Gentis, cum maximis quibusque ornamentis cumulatae, tum in tuendas opibus artes bonas effusae. At uotorum, quae suscipere consueuimus, rationes de improviso conturbat obitus **IOANNIS GEORGI**, grauique nuncio nos commouet, ut desiderio profequamur tot, et tanta, uirtutum decora, quibus Illustrissimus Comes ipsius dignitatis, a maioribus traditae, amplitudinem auxit. Erat haec Scipionum praestantia, ut auitae laudis exemplum retinerent, proderentque posteris, et, facta identidem honoris accessione, amplificarent. neque uero desunt Volframsdorfis imaginibus Scipiones, qui, antiquitus in Boiis commorati, fortunis iuxta, ac fama rerum gestarum, floruerunt, tandem, ducentibus alio fati, profecti ad Saxonas, laudem rei militaris togae artibus cumularunt. Non capit hic modus, quod saeculorum spatiis conficitur, ad existimationem tamen antiquae, atque ingentis, gloriae fati est, ex Heroum familia uel nominari Hermannos, Henricos, Philippos, Georgios, Ernestos, Georgios Ernestos, Burcardos, Conrados, Dietericos, Henricos Christophoros, plerosque, ut in remotiori aetate, magis historicis, quam uulgo, notos. hi sunt ii, quorum fidem uirtutemque, Imperatoribus, et Saxonibus praestitam, exploratus inde ab Ludouici IV, Henricique Aucupis temporibus, recitant annales, quorum fortitudine, ipsaque morte, seruati sunt ex acie Caesares, quorum con-

filio

filio ductuque aut hostes praelio caesi, atque a finibus submoti, aut castella defensa, quorum prudentia respublica est constituta, et sanctitas animi, atque humanitas religionis, et doctrinae studio comprobata. Par his putetur HERMANNVS, qui nobis unum omnium laudes complectitur, sed reuerentius hic attingendus est propterea, quod eius laudationi non unius, sed multorum decreta sunt ingenia, a quibus, per annorum successione, anniuersaria uirtutum commemoratio repetatur. Huius uoce conspectuque formatus Ille, nunquam in res humiles, locique, quo natus erat, fortuna indignas, cogitationes suas abiecit, sed cupide elaborauit, ut acceptum a maioribus splendorem aemulandi studio aut obtineret, aut superaret. adiit Galliam, aliquot Lutetiae Parisiorum annos egit, peragrauit Italiam, peruenit Neapolin, accessit ad Allobrogas, finitimasque regiones intrauit. inde, facto per Germaniam itinere, comueiuit ad Belgas, atque in Britannias traiecit. saepe propius a periculis abfuit, quae tamen nihilo fecius, ac difficultates itinerum, parui duxit et contempsit, dum uiuis, ac spirantibus, prudentiae exemplis imbueretur ad rerum notitiam, quibus instruitur aulae, excitatorisque fortunae cultus. Non defuit meritis honos, cum, aucta iam dignitate loci, quem in cubiculo sanctiori, comitatuque Regio, tenuit, ab ipsomet Imperatore Augusto S. R. I. Comes solemnibus tabulis crearetur, atque amplitudinem, cum suis maiorumque uirtutibus exaequatam, in domum suam primus inferret. Sed, quae sperari poterant maxima, praecipit fatum repentina rerum conuersione praeripuit, nobisque nihil, praeter moeroris sensum, reliquit, ut officio, quo Volframsdorfis tenemur, ducti, lugeamus acerbum funus, eaque pietatis professione obseruantiam declaremus Illustrissimae Comiti, AMALIAE ALEXAN-

XANDRINAE FRIDERICAE, perantiqua Limpur-
gicorum stirpe oriundae, Viduae, tanti mariti, qui-
cum coniunctissime uixit, excessu grauiter afflictae.
Mandetur memoriae connubii felicitas, e quo etsi nul-
li suscepti sunt liberi, tantum tamen suauitatis perue-
nit ad illum, ut solitus sit praedicare, si ad nautica da-
mnatus ergastula, in uinculis integri saeculi labores, et
alia grauissima perferret incommoda, hoc tamen me-
rito nullam sese partem assequi posse diuini beneficii,
quo ea sibi data sit uxor, quae uel temporum calamita-
tibus, uel morbo oppressum, inusitata caritate, fide,
et confirmandi animi diligentia, erigat, atque susten-
ter. Excitandis autem, quas casus hic perculit,
et sustinendis, familiae rebus relictum est Illustre
praesidium IOANNIS FRIDERICI, fratris natu
maioris, elogiisque nostris superioris, pro cuius salute
Deum comprecamur, quo annis, qui fratri detracti
sunt, diuinitus additis, uitam producat, eiusdemque au-
spicio et stet inclusa, ac benefica, domus, et conui-
ctus Volframsdorfii beneficium perliberaliter conser-
uetur. Exponet id, quod res est, exquisitius IOAN-
NES GOTLOBIVS SCHVBAR TVS, Dres-
na Misnicus, et Illustrissimo Comiti, inter coelites iam
recepto, iusta funera solemnibus oratione soluet, inci-
tatus pietate, qua Nutritoribus coniungitur alumnus,
nobisque merito probatus, quod et iuris scientiam
studio politoris humanitatis ornat, et compositi mo-
ris officio prudentiam agendi demonstrat. Reliquum
est, CIVES, ut ad auscultandum in Aede arci coniu-
cta, crastino, ab H. IX. matutina, frequentes nobis-
cum conflatis, excellentibus inducti meritis, quae
in nomine VOLFRAMSDORFIO, cum grata
prolixae benignitatis recordatione, ueneramur. P. P.

Domin. IV ADVENT. A. R. G.

CIC IO CC X

Ung VI 3

W 18
V 17



RECTOR
 E VITEMBERGENSIS
 ENRICVS
 KINGIVS
 EIVSDEMQUE PROFESSOR
 AE PRINCIPIS ELECTRICIS SAXO
 TOR AVLICVS. SEREN. DVC
 LIARIVS ECCLESIAST. ET CONSIST
 VITEMBERGAE EST, ASSESSOR
 S ACADEMICIS
 S P D

